5

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROPHOBIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J. G. COLEMAN,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

"Inspice nescio, quid trepidat mihi pectus et ægris
"Faucibus et superat gravis halitus————
"———————— qui dicit medico."

PERS. Sat. iii.

IV. Nonas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

PATRI SUO CARISSIMO,

HENRICO COLEMAN

ARMIGERO,

QUI USQUE A TENERIS ANNIS,

VIAM SCIENTIÆ EI PATEFACIENDAM

CURAVIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS, PIETATIS ET OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM,

QUAMVIS VERO PEREXIGUUM,

SACRAS ESSE VULT

FILIUS.

VIRO BONO PROBOQUE

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

MEDICINÆ THEORETICÆ IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI,

SOCIET. REG. EDIN. ET COLL. REG. MED. EDIN. SOC.

SCIENTIA MEDICA

PERITISSIMO,

URBANITATE, BENEVOLENTIA,

OMNIBUS DENIQUE VIRTUTIBUS

QUÆ

HOMINEM, CIVEM, MEDICUM

DECENT,

ORNATISSIMO;

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI BENEFICIORUM IN ÆTERNUM MEMORIS

TESTIMONIUM,

PEREXIGUUM, SED SINCERUM,

EX CORDE

OFFERT

AUCTOR.

CHIRURGO PERITISSIMO,

ET

AMICO ÆSTIMABILI,

GULIELMO NEWBIGGING,

COLL. CHIRURGORUM EDIN. SOC. ET CHIRUR.

NOSOCOM. EDIN.

SUB CUJUS AUSPICIO RUDIMENTA MEDICINÆ

FELICITER ADDIDICIT

AUCTOR,

OB PLURIMA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

HANCCE, QUALISCUNQUE SIT

DISSERTATIONEM,

GRATI ANIMI

PEREXIGUUM TESTIMONIUM,

DAT, DEDICATQUE.

"Lethalis hyems paulatim in pectora venit,
"Vitalesque vias, et respiramina claudit."

OVID.

In rebus quibuscunque difficilioribus, non expectandum, ut quis simul et serat et metat, sed præparatione opus est, uti per gradus maturescant.

BACON, *Nov. Organ.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPHOBIA.

J. G. Coleman Auctore.

Quando Naturæ lineamenta vel obiter inspecta motus gaudii et admirationis concitare soleant; quanto magis hæc augescent, cum propriis inspicere decrevimus! cum contemplamur varias formas et species rerum externarum quas infinitas induunt. Harmoniam illam perpulchram ubique intimeque expansam—quam variis formis variarum rerum alma Natura prolem sustineat; quomodo terra alimentum plantis, plantæ animalibus subministrant; quomodo alia in aliam materiæ speciem conversa, modo florem dulcissimum, modo hominis mentem et intellectum pæne divinum generat.

Magnum ideo rerum Opificem omnia in una quasi catena connectit; qua læsa universa afficiuntur, in congeries inanimas et fabrica regulari cassas diffracta. Homo, terrarum dominus, ruinam generalem minime effugit: variis enim morbis quam animi quam corporis vigor ejus imminuitur, vitæ principium læditur, tandemque dissolvitur. Hos varios morbos prohibere, aut non prohibitos sanare, cum notitia causarum quæ inducunt, maxima ex parte scientiam medicinæ constituit.

Propter maximam hujus artis utilitatem, sanitatem generis humani amplectentem, multi huic animi attentionem dederunt, atque propter obscuritatem omnia ad munera corporis pertinentia involventem, nil mirum est, si in morbis nonnullis curandis nihil fere adhuc profecimus. Inter morbos hujusmodi haud paucos, unus est, quem dirissima mala comitantia, ignorantia ingens de natura ejus, atque perpetuus eventus lethalis, medicorum attentioni vehementissimo commendat. Neque eum talem medici neglexerunt, a primis usque temporibus, magis magisque ad tempus hodiernum curiose investigantes: nihilominus, ne

minimum quidem ad curationem accesserunt. De hoc morbo trecenti auctores scripserunt; plusquam ducenta medicamina diversa identidem laudata vel usurpata sunt, sed his nihil obstantibus cognitio hodierna vix de hydrophobia perfectior est, quam quæ prima promulgata est.

Hydrophobia, plerumque effectus est materiæ cujusdam in saliva animalis rabidi latentis, perque morsum aut vulnus corpori introductæ.

Dolore partis morsæ, hebetudine, melancholia, postea præcordiorum dolore, sensu universo exacuto, devorandi difficultate, vomitu, convulsionibus, delirio, denotatur.

Quo tempore post morsum hæc accedunt dictu impossibile est. In nonnullis uno die postea, in aliis, si MORGAGNO credas, annis quadraginta. Tempus autem frequentissimum mensem unum alterumve post injuriam existit. Interea nulla videntur signa quæ miserum periculi sui moneant. Vulnus sanescit, securus vitam agit; aut si quando expectet aut timeat, hospes tandem invitus eum occupat, horroribusque dirissimis demergit.

SIGNA.

Plerumque incipit pruritu partis morsæ, aliquando ad dolorem vergente. Pars rubescit, inflammatur, tumet; tandem rupta, ichorem saniosam effundit. Aliquando nulla fit exulceratio, parte tantummodo livescente; atque in aliis exemplis etiam hic livor non adest *. Languor, lassitudo, anxietatis sensus, præcordia occupat. Somnus perturbatur, et agitatur somniis horridis, frequentique e somno excitatione comitantibus. Experrectus, gemit, de pectoris constrictione conqueritur; melancholia profunda mergitur, cujus causam nescire se profitetur; tremores a vulnere per totum corpus propagatos et circa pectus et cervicem terminatos, sæpe describit; pulsus parvus, frequens; respiratio difficilis, suspiriis crebris interrupta; convulsiones sæpe accedunt, quas conatus ad bibendum fere repetere cogit: ideoque licet fauces siti urantur, terrorem de his maximum exhibet.

* Med. Chirur. Trans. vol. 1.

Hinc vocabulum HYDROPHOBIA. Mens aberrare incipit, verbula male cohærentia mussitat æger, nec raro mordere conatur. Illum nunc omnia levissima irritant; colores vehementiores, lux, soni, nec raro mera aëris vibratio, convulsiones inducit; sensus caloris intrinsecus percepti vexat, sitim immanem inducens quam sedare non potest nec audet. Oculus fixus, splendens, quasi inflammatus, nec raro pupilla dilatata; vox aspera, profunda; os saliva viscida agglutinatum, quæ copia haud mediocri exit. Modo rationis omnino compos, melancholia profunda mergitur, eventum prævidet, et amicos cavere, antequam convulsiones obrepant, commonefacit. Tormenta augescunt; vomitus supervenit, materia biliosa subinde ejicitur; pulsus fit debilis, intermittens, atque magnitudo lineamentorum vultus imminuitur. Convulsiones rursus superveniunt; inter quas vitæ huic miseræ valedicit. Aliquando vero tranquillus, natura certamine iniquo fracta, et exhausta subito mortalitatem exuit.

Ingens mobilitas generis nervosi omnibus signis originem præstat, atque ab ea facillime explanari possunt. Stimulus animi in statu sano

motus musculorum voluntariorum solitos inducit; sed cum hi musculi sensu morbido instruuntur, idem animi stimulus duplice vigore agit actionemque convulsivam efficit.

Nunc quando reputamus quam perplexa, quam intricata in statu sano organa devorandi existunt: quot musculi in hac actione exerceantur; non mirum esse potest, si iisdem majore mobilitate præditis, ut in hoc exemplo, devorandi difficultas accederet. Salivæ fluxus auctus, sensui glandium exaucto, easdem impressionum capaciores reddenti, debetur; haud tamen certe constat sensum his augeri, fieri potest ut fluxus solito major ab ore sit propter difficultatem devorandi solam.

A signo peculiari morbum in homine denotante, vocabulum Hydrophobia ductum fuit; atque a notione quorundam canem simile malo laborare, morbo canum quoque tributum est.

Perperam tamen omnino hunc aquæ timorem canibus imputant, caveant illi qui credunt ne sero errore liberentur; canis enim rabiosus aquam multo sæpius petit quam fugit. Morbo canem aggrediente, bestia positionem sæpe mutat, inquieta apparet, moribus insolitis.

Quæ solo forte jaceant, eam offendunt: hæc carpit; solitudinem petit canis, eosque quos olim sibi familiares habuit, studiosissime devitat, edit autem bibitque nec reluctans. His primis signis graviora cito succedunt; ululat gemitque frequenter: oculi rubri, lacrymis suffusi; crura ignave ad corpus reducuntur, dorsum solito curvatius a nonnullis observatur. Coercionis nunc impatiens, baculum excitatum iram ei valde movet; atque a mordendo etiam dominum non nisi difficillime cohibetur; sed nisi incitatus aut ira furibundus, quos olim maxime amavit, ultimos lædit. Sed mutatio adhuc manifestior his supervenit, mœstaque conditio quam illæsus exhibebat, nunc maxima irritabilitate excipiuntur. Desiderium inordinatum mordendi et rodendi omnia, sed præsertim ea animalia quæ maxime sanus odiisset, aut impetere consuesset. Sic canes, feles, pulli, aliaque domestica animalia, his primæ victimæ sunt. Etiam homines, irritabilitatis momento, impetit, in omnia involat. Domum sæpe relinquit incertusque errat, obvios quosvis lacerans: donec debilis factus vix amplius procedere valet: maxilla quasi resolutis musculis cadit, saliva viscida ore

fertur; titubans, tandem et exhaustus concidit, mordendi fere impotens. Lingua ex ore protruditur; oculi magis inflammantur, orbitis prominent, speciem ferocem præ se ferentes. Tormenta misere canem exagitant, qui malis devictus animam illam efflat, quæ,

...........Totamque infusa per artus,
Agitat molem. VIRG. Georg.

Dissectio.—In genere humano, cadaver patefactum, viscera insolito arida demonstrat. Striæ parvulæ rubræ in imo œsophago, in cardia et ventriculo extremo. Intestinæ multo flatu distensæ. Effusio sanguinis in pulmones subinde videtur, necnon inflammationis signa in cerebro, veluti effusio serosa in superficie. Piæ matris rubor. Sæpe autem nulla ibi morbida videntur, in faucibus, diaphragmate, ventriculo, intestinis. In animalibus rabidis signa magna ex parte eadem sunt ac in genere humano. Leves notæ inflammationis circa epiglottidem atque pylorum; aliquando notæ lividæ in superficiem ventriculi internam; sed in his, perinde ac in homine, subinde fit ut omnia sanissima appareant. Hæc varietates, procul dubio

a diversa variarum partium ad inflammationem proclivitate.

Hydrophobia exoriatur aut sponte, aut de animali rabido communicetur.

Hydrophobia spontanea morbus esse intelligitur, quæ aliis causis quam morsu rabidi animalis nascitur, sed qui signa similia ante et post mortem ostendit.

Hæc animalia quibus plerumque gignitur, sunt canes, feles, lupi, vulpes, necnon homines. In aliis quoque, sed parum certe, animalibus apparere dicitur.

In *Canibus*,—semel productam nonnulli contendunt contagione Hydrophobiam, haud secus ac alios id genus morbos propagari, nunquam vero sponte subnasci. Complures auctores contra opinantur eam aliquando hac ratione gigni, etiamque causas originis tribuerunt. BOERHAVIUS sequentes in brutis causas dixit: Plagam calidam, apertam, ardoribus solis vel frigori et humori multo expositam; victum ex putrida, fœtida, verminosa carne: potus defectum, vermes in renibus, intestinis, cerebro, naribusque internis. *Hydrophobia* quoque contagio specifico, eodem fere modo ac Typhus Febris, aliique

morbi, propagatur. Dominus GILLMAN canem refert, qui area quadem catenatus est; morboque nihilominus affectus est, etiamsi ab omni animali quod morbum communicare posset, seclusus.

Inter catervam canum Domini TREVELYAN olim erumpebat, nec hanc e morbi incursionibus liberare potuit, donec solum ædificii, effodisset, aliisque purgationibus usus esset. Certæ aëris conditiones productioni ejus favere videntur, fortasse superinducunt. In Jamaica et America Australi, morbus fere eodem tempore olim erumpebat; nec causa fuit cur omnibus communicatus crederetur, quoniam canes ab aliis partibus, ut MOSELY auctor est, similatque portus illius insulæ intrassent, corripiebantur.

In *homine*,—auctores non tantum spontaneam mali originem negare, sed nullum talem existere morbum contendere ausi sunt. An ab incredibili miseria Hydrophobiæ, a cujus enormitate mens resilit consternata, eorum dubita io excusanda est? Quando hoc modo in specie humana effectus alicujus magnæ irritationis est, veluti fati-

gationis [1] immanis: aquæ frigidæ potus corpore calente [2]; morsus animalium iratorum [3]; ingesta acria [4]; motus animi nimii, sive gaudii sive mœroris [5]; post morbos nonnullos, ut in hysteria [6]; cordis palpitationes [7]; ventriculi inflammatio [8]; febris typhodes [9]; cynanche variolosa [10]; epilepsia [11], melancholia [12]; inferre auctoribus dicuntur, ab injuriis topicis quoque ut HILDANUS, CŒLIUS AURELIANUS, SCHENKIUS scribunt, subinde oritur. Exemplum mi-

---

1 SANCHES' BOERHAVE, Journal de Medecine.

2 MORGAGNI. KOCKLERUS, quoted by MORGAGNI. ANDRY.

3 Journal de Medecine.

4 ANDRY. These du Chret. FRED. SIELIG, 1762.

5 Biblioth. raisonnée. ANDRY. SCARRAMUCHI. VAN SWIETEN. MARCELLUS DONATUS.

6 MEAD. PLATER. MORGAGNI. ANDRY.

7 MEAD. ANDRY.

8 Med. Comment. ANDRY. VAN SWIETEN.

9 ANDRY, Salius Diversis, &c.

10 SAUVAGES, Nosol. Method.

11 ANDRY, BECKERUS, MALPIGHI.

12 ANDRY, ÆTIUS. GALEN, CELSUS.

serabile LINDESAY, a doctissimo BARDSLEY narratum, ab animo demisso inductum fuisse apparet. Exemplum insequens ad Hydrophobiam spontaneam pertinere creditum, comitati amici mei Dom. BALINGALL omnino debeo, cujus experientia de hoc ut aliis morbis in India Orientali nullum scrupulum nobis de morbi natura relinquit. Alii quoque medici advocati cum eo consenserunt, et solum restat dubium an prius morsus homo infortunium postea oblitus esset. Verba sunt:

"*Bengalore, April* 20. 1813.

Private JOHN VERBLINKER, æt. 54. a native of Flanders, twenty-eight years resident in India; a man of spare habit, and sallow complexion, was first reported sick this morning, at which time he complained of nothing but a slight uneasiness about the pit of the stomach, and also at the top of the sternum, attended with a slight degree of nausea and loathing of food; for this he was ordered a dose of rhubarb, which has produced two stools. He complains at present of urgent thirst, but shews the utmost horror at the approach of water, and is

affected with a violent spasm of the muscles of the throat whenever it is brought near him; shews also an aversion to light, and extreme sensibility to the accession of cold air; the uneasy sensation at the top of the sternum is much increased, and he discharges a great quantity of ropy phlegm by the mouth: on inspecting the fauces, a slight degree of preternatural redness is the only thing remarkable. Pulse quick and small.

"Affus. Frigid. statim. Cap. Opii pur. gr. x. et applic. Vesiator. sterno.

"8 P. M.—He drank a half pint of wine, was put into a tub of warm water for twelve minutes, from which he got relief, and afterwards took ten more grains.

"5 A. M.—Slept none during the night, and is much exhausted, but is perfectly collected in his mind; the saliva flowed in great quantity from the mouth; took an emetic, according to desire, to clear it away:—while another warm-bath was preparing for him, the patient expired. The most singular circumstance attending this

case was, that neither the patient himself, nor any of his comrades, could recollect his ever having been bit by a dog, or sustained any injury whatever which could be supposed to give rise to this disease. His extremities were minutely examined, but no scar could be discovered.

" I regret that circumstances occurred to prevent my making an inspection of the body after death. It appears to be a well marked instance of spontaneous Hydrophobia, and it would be highly satisfactory to know whether the appearances in the gullet and stomach corresponded with those observed in other cases of this disease. The very great age of the patient would seem to preclude the trial of bloodletting, even if we had been inclined to adopt it. Five instances of the failure of this practice (besides that of Serjeant Clarke), have now come to my knowledge, so that I have just as little faith in bloodletting, as in every thing else which has been recommended for this horrid disease."

Origo a Communicatione.—Hydrophobia oritur plerumque a morsu animalium rabidorum.

Quæ animalia morbum propagare possunt, canes sunt, lupi, vulpes. Alia dicta sunt, ut felis [1], gallus [2], anas [3], denique quodvis animal [4].

Nonnulli contendunt, hominem morbum animalibus communicasse, atque hoc probatum fuisse dicitur a MAJENDIE et BRESCHAT [5]. Notio quidem diu valuisset, sed felice experimento incitati salivam hominis rabie in valetudinario quodam morientis cani inseruerunt, morbumque communicaverunt. Si res auctoribus minoris nominis emanasset, fidem ægre sibi fecisset: quum tam plurima experimenta [6], hac Insula eodem consilio, sed omnia incassum, instituta fuerunt. Dom. GERARD affirmat, quod aliæ

---

[1] VAN SWIETEN. HAMILTON.

[2] SCARRAMUCCI. PORTAL.

[3] Journal de Medecine.

[4] PORTAL, BALINGER, HAGG, KEMME, et alii scriptores.

[5] LEMERY. ANDRY. Acad. de Sciences de Paris. Thesis de BALDINGER. D. MAJENDIE et BRESCHAT, in London Med. Repos., vol. iv. p. 35.

[6] Per VAUGHN, MUNCHLEY, HAMILTON, BABINGTON, BARDSLEY, &c.

res quam saliva hominis affectum, si vera Hydrophobia fuit, induxerunt. Ut ea quæ objecit validæ sint, omnibus generi humano benevolis optandum est.

Auctores nonnulli docuerunt, quod animalia prius sana, si vehementer irritata vim similis morbi per morsum communicandi, acquirant. Hoc diu vulgo hominum credebatur, sed testimonio directo omnino egebat, donec M. Rosse [1], necnon Doctor Bouteille [2], exempla quædam narraverunt. Propter hanc causam dicere possumus cur feles adeo universe morbum communicare posse creduntur. Hæc enim animalia creberrime ludicro habentur, et violenter irritata, aliquando a morsu vel laceratione Hydrophobiam inferant. Quod pulli subinde morbum induxisse ferentur, eodem referendum est. Ab his factis nonnulli eo usque processerunt, ut affectum a saliva rabidi animalis gigni omnino negant: Phænomena enim ad irritationem nervosam referenda esse; nec salivam pro veneno habendum esse, contendunt. Hæc autem conclusio

---

[1] Mem. de l'Academie de Turin, vol. vi.

[2] Mem. de la Societ. Royal de Medecine, 1782.

admodum falsa est, quoniam idem effectus plurimis et diversis causis oriri possit. Satis notum est feles etiam, non rabidæ morbum inducere posse; unde duco eas quando rabidas Hydrophobiam inferre, nec veneno quovis saliva latente, ut in cane fit, sed a causa aliqua irritationem topicam inducente, fere ut spiculæ tetanum. Verum res adhuc atra caligine versatur; ideoque nos spe contentos esse oportet.

"Veniet tempus quo ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahet." SEN. Nat. Quæst. viii. 25.

Communicandi Ratio.—Hæc consistit saliva rabidorum animalium in vulnus recepta: quod a nonnullis ad morbi productionem penitus necessarium creditur.

Multa tamen ad contraria restant exempla. Quum autem amplum vulnus haudquaquam opus est, atque frequenter parvula vulnera vel cicatrices in variis manuum partibus obveniant, concludi potest ea quoque saliva adhibita, formata fuisse. Dr HUNTER narrat, canem vulnus donec sanguinem effunderet linguendo morbum

produxisse. In Trans. Phil. Lond.[1] duo narrantur exempla, ubi salivæ contactus Hydrophobiam generat: aliud in Mem. Acad. Reg. Scient. Swedorum[2]; aliud in Ephemeridem Germanicum[3]. JOHAN. MATHÆUS de Gradibus de una mentionem fecit, "ex sola impositione manus in os canis rabidi." CŒLIUS AURLELIANUS[4] in fœmina productam esse scripsit quæ labris suis filum de veste cane rabido lacerato, admovisset. Doctissimus HAMILTON[5] simile narravit exemplum. CARDANUS[6] cuidam ex osculo canis rabiosi superinductam memoriæ tradidit. ARETÆUS spiritum animalis rabidi efficere posse. Credula tamen hæc et dubia admodum videntur. Nullum adhuc novimus animal hujus veneni vim non suscipiens,

---

[1] Vol. xxi. p. 1074.

[2] 1774.

[3] Ann. 7. Ob. 121.

[4] De Morbo Acuto.

[5] On Hydrophobia, p. 52.

[6] Contradict. 9. Tract. Lib. ii.

[7] De Causis et Signis Morbi, Lib. i.

licet alia aliis procliviora sint. Sic canis, homine proclivior existit. Quatuor homines et duodecim canes simul morsi sunt: canes universi extincti sunt, hominum ne unus quidem. Alias viginti ab eodem cane morsi sunt homines, quorum non nisi unus Hydrophobia affectus est. Pars morsa, a nonnullis augere vel imminuere periculum credita est.

De Hydrophobiæ Natura.—Multæ theoriæ prolatæ sunt de hac re, alii aliis locum cedentes, quæ nunc valet ad generis nervosi affectus violentes refert.

Quodammodo ad tetanum affinis in plurimis signis apparet. Adeo arcte tetanus eam aliquando imitatur, ut PERCIVAL auctor est, ipsum ægerrime inter hos duos morbos distinguere potuisse.

Internoscatur, ex differentia spasmorum musculorum in his morbis. In tetano, rigidi, clonici sunt, parum motus permittentes. Maxillæ inferioris musculi frequenter adeo rigidi sunt, ut ne os aperiatur impediant. Caput sæpenumero retractum, ita detinetur. Faciei musculi aliquando contrahuntur, risum sardonicum effi-

cientes. In Hydrophobia, couvulsiones nullam post se rigiditatem musculorum relinquunt. Musculi maxillæ et capitis non afficiuntur, nisi a conatu ad bibendum, et tunc momento tantum. His præcipue signis distinguantur.

Ex toto, de natura hujus affectionis novimus, eam pleraque signa aliorum morborum nervosorum exhibere ; corpus mire ab eo irritabilitate fieri ; ex quo omnia fere signa producantur : atque a sensu partis morsi ad morbi principium concludamus, morbum *aliquid esse eo ipso tempore in illa parte agens* quod postea morbum producit.

PROPHYLAXIS.

Nullo in morbe, adeo torquetur medicus ne horam quidem quietis procurare valet,

> " To trample fear beneath his feet, and brave
> " Fate and stern death and hell's resounding wave."

Sed etiam in hoc malo, Natura, licet curationis impotens, haud æque præventionis exspes est.

Simplicissima ope excisionis, inhiberi potest: atque hoc fit tribus rationibus.

I. Partem exsecando.

II. Erodentibus.

III. Abluendo.

I. *Excisio.*—Circa vulnus fiat simplex incisio, cura habita, ut scalpellus non in contactum cum ulla particula morsa veniat, ne alias et sanas partes inoculet. Vulnus tum bene eluatur: atque cucurbitula et scarificator aliquamdiu applicari possunt, cum ablutionibus subinde repetitis.

II. *Ope Exurentium.*—Hæc per se tantum modo ibi usurpanda sunt, ubi timores ægri excisionem non sinunt. Solutio nitratis argenti aut potassæ usurpari possunt. Ammonia laudata fuit. Causticum adhibetur donec crustæ separari inceperint, quæ actio aliquamdiu conservanda est.

III. *Ablutio,*—nunquam per se exhibenda est, sed cum partis vulneratæ situs, nihil aliud fieri permittat. Sapo in aqua solutus, primum adhi-

beantur: tum debilis solutio aquæ ammoniæ pluries in vulnus clysterii ope, vehementer injiciatur. Methodus, qua vulnus bene lautum fuisse cognoscimus, hæc est. Atramentum scriptorium vel aliud quodvis, in partem conjicitur, atque tunc pars lavari continuatur donec omne atramentum eluatur. PERCIVAL ligaturam circa artum conjici interea suadet. Nonnulli partem morsum stimulante quovis unguento sic curari suaserunt, ut profluvium inde materiæ per aliquot hebdomadas fieret.

Dr LEAKE Jenensis, solutionem oxidi arsenici vehementum venenum destruere, morbumque prævenire, reperit. Dr THOMAS aquam ammoniæ usui commendat, propter salutares ejus effectus in morsu *Copra di Capella*, serpentis venenatissimi, cujus effectus rabidi animalis haud absimiles sunt.

Porro, ut æger securus vitam agat, hydrargyrum exhibere suasum est: atque multi ejus bonos effectus, sine ulla alia prophylaxi comitante laudaverunt. Formulæ quæ celerrime salivam provocant hic indicantur; unguentum hydrargyri copiose in cutem infricatum, et oxy-

murias hydrargyri præscriptus, ex methodo Darwinii, scilicet gr. 1fs in ℥fs spiritus ardentis; crebro repetitur, donec salivationem celerrime inducit.

Quod ad tempus quo pars morsa feliciter excidatur, parum constat, licet plurimi opinentur quodvis tempus ante Hydrophobiam inchoatam sufficere; quinetiam pars excidi potest, postquam morbus inceperit, prasertim si virus topice solum agat, ut nonnullis placuit. Quod si casu aliquo morbus accedere sinatur, mors fere inevitabilis supervenit. Hic cum vitam sorspitari prorsus impossibile sit, signa graviora levare, viam ad letham quam minime asperam et lævem præstare, conandum est. Si antidota omnia adeo jactata hic repeterem, credulam majorum nostrum simplicitatem jure erubesceres: si vel nomina infinitorum ad Hydrophobiam medicamentorum recenserem, universam materiam medicam adpellasse diceres. Igitur, quoniam vires medicinæ nondum quidquam, vel minimum efficerint; præsidium potius a natura mali et ratione qua venenum agat, perscrutandis, expectari oportet.

Quum autem corporis irritibilitas magna esse soleat, omnia hæc medicamina, quæ vim potentissime sedativam exerceant, adhiberi possunt. Sic venæsectio, sic opium, sic epispastica adhiberi possunt; sed omnia inutilia reperta sunt. Nonne hydrosulphuretum ammoniæ a magno ejus effectu sedante prodesse posset. Medicamenta ex ferro, arsenico, &c. usurpata sunt, nullo tamen successu.

Acetum multum usurpatum est: atque, ut dicitur, curatio per usum hujus liberalem effecta fuit.

Oleum Olivæ in pauculis exemplis morbum sanasse dicitur: timorem aquæ, pro portione olei assumpti decidere perhibent. Extrinsicus quoque exhiberi potest.

Arsenicum.—In Germania nonnulli auctores, hoc metallum vehementer laudant, utpote quod efficacissimum aliquando fuerit. Dr Simmons pilulam Indiæ Orientalis Anguineam, quæ arsenici portiunculam habet, se feliciter quantum apparuit exhibuisse scribit.

Antispasmodica immensa copia, sine tamen fructu, exhibita sunt.

Venæsectio,—etiamsi vehementer nonnullis elata, minime efficax inventa est.

Postremo, hic in fine repetendum est, quod initio posueramus,—Morbum hodie, perinde ac quando primum notus fuit, *ignorari*.

FINIS.